



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XXXV. (a) Gregorius IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

fargitione donata; & omnia ea, aut respuenda esse, aut decimas ipsos soluturos: refert Manrique tom. 4. *annal. Cisterc. anno 1213. cap. 22.* Cujus constitutionis Capituli generalis Cisterc. meminit Innocentius III. *in presenti*, & statuit, prædictam moderationem esse observandam, non solum ab ipsis Cisterciensibus, verum & ab aliis æquale privilegium exemptionis habentibus. Verba hujus textus refert Manrique *dicto tom. 4. anno 1213. cap. 12. & anno 1215. cap. 5. num. 6.*

## COMMENTARIUM.

2. **C**um in præsentis textu modus imponatur privilegii exemptionis à solutione decimarum diversis monachorum Ordinibus concessis, ita ut de prædiis noviter acquisitis decimas ipsi exempti legitimis parochis exsolvant; & postea plura alia privilegia circa eandem exemptionem ipsi monachi, & alii Religiosi à Sede Apostolica impetraverint, vulgò quæri solet, an in similibus privilegiiis debeat fieri expressa mentio, & derogatio hujus textus? Et expressam ejus derogationem desiderari docuerunt plures, quos sequitur Barbosa in præsentis num. 1. & *de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. num. 37.*

Noguerol *alleg. 39. num. 24.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21. num. 136.* Rota apud Tamburinum tom. 3. *de jure Abbatiss. decis. 94.* Larrea *alleg. 52. num. 2.* Solorzano tom. 2. *lib. 3. cap. 21.* Qui moventur ex eo, quia cum præsens constitutio Concilii generalis sit, debet fieri ejus expressa derogatio, juxta communem sententiam, quam tuentur plures, quos referunt, & sequuntur Balboa *in cap. 1. de judicis. num. 3.* Barbosa *ad Concilium Trident. sess. 1. cap. 1. Fragolo de regim. Christ. Reip. p. 1. lib. 1. disp. 1. §. 7.* Sed contrarium, & rectius, docuerunt Menochius *consil. 196. num. 9.* Rota apud Cavallerium *decis. 430.* & apud Seraphinum *decis. 331. frances. 1. p. decis. 764.* Marquellanus *de commiss. 2. p. pag. 424.* Nam verius est, etiam constitutionis conciliaris necessariam non esse expressam; & specialem derogationem; sed sufficere clausulam illam generalem, *non obstantibus, & cætera*, ut docent plures congesti à Barbosa *de clausulis, clausul. 82.* Basiliius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 2. num. 29.* unde est præsens constitutio esset conciliaris, quod negandum est; juxta tradita *in cap. 1. de summa Trinit.* non desideraretur ejus specialis derogatio, licet in nonnullis privilegiis ad majorem securitatem eam clausulam derogatoriam hujus textus adjectam legerim.

## CAPUT XXXV.

## (a) Gregorius IX.

**I**nter dicimus universis personis ecclesiasticis, ut decimas detentas à Laicis, ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.

## NOTÆ

1. (a) **G**regorius IX. ] Qui motu proprio præsentem edidit constitutionem, intendens decimas à laicis occupatas virtute infeudationis Pontificiæ facilius recuperari; nam cum laici eas præscribere nequirent, *cap. causam que 7. de præscript. Ecclesiastici* verò possint, ideo facilius Ecclesia poterat eas à laicis recuperare. Quæ fuit etiam

ratio textus *in cap. in Lateranensi 31. de præbend. cap. cum Apostolica, de his que fiunt à Prelat. cap. cum & plantare 3. de privil.* Ideoque prohibet Gregorius decimas pignori dari sub spe redemptionis; quod plerumque fiebat à monachis, & personis, qui eas obtinere non poterant, ut probavi supra *in cap. quisquis de elect. pro expositione textus in cap. 1. de usuris; & præsens commentarium petendum est ex adductis supra in cap. prohibemus.*

## TITULUS XXXI.

## De Regularibus transeuntibus ad religionem.

## CAPUT I.

## Ex Concilio (a) Mogunt.

**D**e clericis hoc statuimus, ut ii, qui hætenus inventi sunt, sive in canonico, sive in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi (b) sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus (c) tondeatur sine legitima (d) ætate, spontanea que voluntate, vel cum (e) licentia domini sui.

D. D. Gonzalez. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Hhh

NOTÆ